



**Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et Justitiæ, Sive Decisivi Discursus**

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque omnibus in utroque Foro ...

De Fideicommissis, Primogenitvris, Et Majoratibvs

**Luca, Giovanni Battista de**

**Coloniae Agrippinae, 1690**

Disc. IX. Ferrarien. fideicommissi de Franchis. De eadem materia suspensionis, An feilicet desiderata certa qualitate in vocatis ad fideicommissum, putâ Doctoratus &c. si de tempore apertæ ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74060](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74060)

phani juxta *Confil. Anfaldis*, pro adminiculo, quod scilicet ita ad instar, & per quamdam imitationem processum sit, pro regulanda voluntate.

Clarius verò connectendo insimul aliud proximè præcedens fundamentum, quod non ageretur de formali Commenda erecta auctoritate superioris, sed auctoritate privata, ut non intrent regulares beneficiales, adeo ut etiam laici, imò mulieres ac infantes sint hujusmodi dispositionum capaces *Gonzal. ad regul. 8. glos. 5. per tot., præsertim num. 27. ubi de ætate Rota decis. 48. in sine par. I. divers. Buratt. decis. 1. & 224. & in dicta Melphicon. legati pp. coram Dinezeto ac sepius, & sic cessabat incapacitas, & successivè occasio seu fundamentum quæstionis.*

Demùm satis considerabile pro meo iudicio videbatur, quod, ut observantia comprobavit, ubi etiam de sūcto jure dictus ætatis defectus causaret incapacitatem, Sedes Apostolica nullam habet difficultatem concedendi dispensationem de facili cuiuscumque petenti in ista, magis sæcularium, quam ecclesiasticarum commendarum specie concedi solita, ideoque cum ageretur de infante orphano cuius Andreas patruus saltem habitu erat vel esse debebat legitimus tutor, cui incumbere in bona fide cum nepote pupillo versari, ac debitas adhibere diligentias pro obtinenda dicta dispensatione, qua mediante obtinere posset eam successione bonorum paternorum, quam sibi natura deferrebat, in manifesto dolo dictus patruus versatus videtur, ita nepotem pupillum supplantando, & sic plura concurrebant actoris bonum jus comprobantia, ut Ego ab initio ingenè juxta stylum reo convento meum patrocinium exposcenti insinuavi, cum casus ac fortunæ partus fit requiri magis à fovente bonam causam vel è contra.

## SUMMARIUM.

- 1 **F**acti series.
- 2 Resolutiones cause.
- 3 De responsis editis per auctorem, & alios in causa.
- 4 Qualis esset causa punctus.
- 5 Quod in fideicommissis detur suspensio donec durat spes durationis linea admittit.
- 6 Quid in fideicommissis qualificatis.
- 7 Inspectiones cause.
- 8 De auctoritatibus requirentibus capacitatem de tempore delate successione, & negantibus suspensionem.
- 9 De auctoritatibus in contrarium donec durat potentia.
- 10 Distinguntur casus super dictarum auctoritatem intelligentia, & conciliatione, & primus est in iuribus personalibus, & vitalitijs.
- 11 Alter, ubi nulla linea adhuc ingressa est.
- 12 De casu controversia, ubi bona ingressa sunt unam lineam.
- 13 Omnes quæstiones cadunt in casu dubio, cessant autem ob contrariam, etiam conjecturalem voluntatem.
- 14 De conjecturis impediendis suspensionem.
- 15 Filij Advocatorum sunt præferendi alijs in loco parentum.
- 16 De conjecturis suadentibus suspensionem.
- 17 Existencia persone de genere impedit conditionis purificationem, licet non succedat.

## DISC. IX.

## FERRARIEN.

FIDEICOMMISSUM  
DE FRANCHIS.

P R O

ANTONIO BOTTO DE FRANCHIS

C V M

GRATIO CONTRIO.

Casus decisus per Rotam pro Antonio.

De eadem materia suspensionis, An scilicet desiderata certa qualitate in vocatis ad fideicommissum, puta Doctoratus &c., si de tempore apertæ successione, proximior cui illa deferatur, tunc non sit illius qualitatis capax, An fiat locus ulteriori substituto capaci, vel potius expectanda sit capacitas proximioris, ac interim successio stare debeat in suspensio.

**H**ypopolitus de Franchis Advocatus Ferrariensis ultimus de ejus familia, hæredem instituit Ioannem Baptistam Bortum munus procuratoris seu causarum Patroni in eadem Civitate exercentem, ejus nimium benevolam, & cuius unicum filium Antonium de recenti in sacro fonte leuaverat, inuncto tamen eidem Ioanni Baptistæ onere seu conditione assumendi ipsius testatoris cognomen & insignia, necnon continuandi in eodem munere seu exercitio, eidemque substituit ejus Filios ac descendentes masculos in perpetuum, Doctores tamen, ac munus Advocati vel procuratoris exercentes; Deficientibus autem dictis filiis & descendentes, qui essent Doctores vel Procuratores, aut Advocati substituit Doctorem magis pauperem Collegii dictæ Civitatis ab eodem Collegio eligendum, & à Vicario Generali Episcopi approbandum, inunctis eisdem oneribus, factaque eadem substitutione in ejusdem filijs & descendentes, quibus pariter non extantibus dictam qualitatem habentibus, ad aliam similem electionem procederetur, & sic successivè &c.; Agnita verò per dictum Ioannem Baptistam hereditate, susceptisque cognomine ac insignibus juxta præceptum testatoris, cum ad breve tempus sequuta esset etiam ejus mors superflite dicto Antonio filio in tenera ætate septem vel octo annorum, & sic absque dubio incapaci doctoratus aliorumque munerum à testatore mandatorum; Hinc Collegium prædictum putans factum esse casum substitutionis ad favo-

rom

rem pauperioris Doctoris, elegit seu nominavit *Gratum Contrium* Authorem controversiarum, quaerenti lucrum edita habentur, qui ab eo Vicario Generali Episcopi obtinuit, nedum approbationem, sed etiam immisionem ad possessionem bonorum hereditariorum; Quare introducta per dictum pupilum causa appellationis in Rota coram Vicecomite, eaque propofita, sub die 5. Martij 1663. ad fauorem ipsius Antonij appellantis prodijt resolutio, aduersus quam concessa iuxta stylum nova audientia, & repropofita causa coram eodem Vicecomite de mense Februarij 1664. ob aliquas difficultates habitas in causa, nulla capta fuit resolutio, quod pariter sequutum fuit in duabus aliis propositionibus sequentibus coram Oratoribus subrogato in locum Vicecomitis interim euecti ad munus Nuntij Apostolici apud Regem Catholicum, & deinde ad purpuram, de mense scilicet Iunij 1664. & de eodem mense sequentis Iunij 1665. ac de nouo repropofita sub die 10. M.ij 1666. cum vere acerrimis disputationibus prodijt resolutio dictae prioris confirmatoria ad fauorem Antonij, cui *Contrium* hucusque acquieuit, & qua resolutiones habentur registratae apud *Manzium* consult. 64. & 75.

In quinque igitur disputationibus ut supra habitis in Rota, in quibus, vel scribendo ex integro, vel respondendo, aut replicando, duodecies & ultra scripti pro appellante obtinente, ex quibus duas, unam scilicet responfionem, & alteram replicationem ex tempore iuxta stylum datas in disputatione habita de mense Iulij 1664. longe post haec registravit *Manzium* inter ejus consultationes consult. 17. & 74. dum ipse in gratiam ejusdem Antonij tria dedit responfa ibidem registrata consult. 62. 66. & 69. primum scilicet in prima disputatione habita 3. Martij 1663. coram Vicecomite, secundum & tertium in tertia & quarta disputationibus habitis de annis 1664 & 1665. absque resolutione coram Oratoribus.

Quamvis tam per eundem *Manzium* ac alterum I. C. Mutinensem pro eodem Antonio, & e converso tam per eundem *Contrium* in propria causa, quam per duos doctos & seniores hujus Curiae Advocatos, pro eodem scribentes, & quorum aliqua inter plures informationes, responfiones, & replicationes ab eodem *Manzium* ubi supra registrantur, plura doctè ingeniosè ac elaboratè, non tamen absque aliqua superflua evagatione, deducuntur, in dictis Rotae decisionibus etiam in parte insinuata, nihilominus strictus ac praecisus conuersus punctus fuit, An qualitas doctoratus seu habitas ad exercendum munus Lectoris, Advocati, vel Procuratoris, requireretur actu de tempore aperta successione, ita ut alias fieret locus ulteriori substituto, Vel potius stante potentia dictae qualitas seu habitas per prius vocatum obtinendae, ita impediretur purificatio conditionis, cum qua concepta erat substitutio ad fauorem dicti pauperioris Doctoris, ita repellendi ob non purificatam suae vocationis conditionem, existente interim successione in suspensio, siue ut nostri dicunt, in pendulo.

Cumque non iageretur de primogenitura vel majoratu, unde intrare posset quaestio, de qua supra in *Bonom. primogenitura de Luparis disc. 7.* ac etiam *disc. praeced.*, An scilicet vacare posset, ac stare in suspensio necne, sed ageretur de simplici fideicommissio, in quo quidquid dubitauerint *Castrensi. conf. 16. lib. 2.* & aliqui ejus sequaces, magis communiter receptum est, regulariter non reflagante testatoris voluntate, vel alia particulari circum-

stantia, dari suspensionem seu vacationem, & durat spes seu potentia existentiae personae in genere prius vocato seu de linea semel admissa, quae defecta vel evacuata dici non potest, & durat spes vel potentia ejus durationis per totam vitam, *Romani* editum ex opposito in eodem casu quo *Castrensi. d. conf. 16. lib. 2.*, magis communiter receptum, ex deductis caeteris antiquioribus decisionibus apud *Surd. conf. 125. Franch. decis. 169. & collectos per Castill. lib. 5. controu. cap. 91. & par. 2. rec.*, cum aliis in hujus causa decidit. Quod etiam per scribentes in contrarium primum Advocatos hujus Curiae admittentibus, certa, quae discretivè ad majoratus ac primogenituras supponebatur, etiam hinc inde in rebus disputationibus habitis in dicta *Bonom. primogenitura de Luparis disc. 7.*

Hinc proinde quaestio erat magis facti quam juris, an scilicet in facti specie non agebatur de fideicommissio simplici & nario, sed ut supra qualificato, quod scilicet ex tempore successores ac possessores qualitates doctoratus vel habitatem ad dicta munera exercere habere deberent, ita resularet dictae conditionis limitatio, ac propterea dicendum venire in quod in primogenituris qualificatis, seu in ecclesiasticis, aut feudis, aliisque administrationibus annexam habentibus statutum est, super admittenda vacatione vel suspensione, sed de illa da habitate seu capacitate de tempore facti. Reliqua enim omnia per scribentes deducta tenebant potius flores ac ornamenta Curiarum, praesertim scribentium de partibus causa punctum praecisum, super quo iudicium stabant.

Super hoc autem duae cadebant inspicuae Una doctrinalis, super specialibus scilicet auctoritatibus, quae per scribentes hinc inde desuper dabantur, Et altera, ratiocinativa, vel scilicet rationibus ac fundamentis ex principijs iuramentantibus, vel super conjecturis & praesumptibus, unam vel alteram testatoris voluntatem dentibus.

Quoad auctoritates, ex parte actoris, magis fundamentum constituebatur in illa tanquam specialia ac proxima Rota *decis. 206. par. 3. rec. & decis. 682.*, ubi de beneficiis de iure patronatus similibus non expectantibus dilationem, sed de rebus habitatem de tempore facti casus, & prius vocato non extante, admittendus est prior vel etiam extraneus; Majus vero in speciali ac individuali auctoritate *Gargiary* ubi agendo de quodam legato ad fauorem litterati intra lineam seu genus, ab eo excluditur filius infans, & illiteratus possessoris, atque legatus transfertur in alium collateralem; Atque in satis conferre dicebantur decisiones in *Luparis disc. 7. coram Oratoribus. decis. 270.* & *coram Celsis. decis. 159.* ubi de legato cujusdam praedij facti ad fauorem clerici existentis in domo pro tempore, ut reddi debeat qualitas de tempore casus; Idemque casu converso vocationis laici in *Pisauren. primogenitura 16. Januarij 1651. coram Cerro*; Ac etiam in *non. fideicommissi de Barberijs coram Corrado decis. par. 11. rec.* alias *dec. 17. post Censul. in addit.* ubi curata non fuit sperata existentia masculina descendens ex filia testatoris, sed admissus

Ins tunc existens transversalis utpotè filius fororis, & in Bonon. *fideicommissi de Catanis* 17. Martij, & 11. Decemb. 1662. coram Bourlemont, ubi admissus fuit puer seu adolescens remotissimus cognatus, non expectata futura existentia masculorum ex filiabus ultimi possessoris à testatore descendentes; Ac etiam in ultimis disputationibus magnum fundamentum constituebatur in firmatis in Bonon. *primogenitura de Luparis* 15. Martij 1666. coram Bourlemont, ubi de primogenitura qualificata non admittebatur dilationem, seu vacationem; Et his addebantur doctrinæ ac regulæ generales super desiderata qualitate ad certum effectum, existere debentem de tempore quo ille obtinetur.

E converso, ego & ceteri pro reo convento scribentes, ultra generalia in causâ decisionibus infirmata, atque per alios deducta videnda apud *Manzani loco supra citato*, adducebamus in individuo qualitatibus Doctoratus desiderata, auctoritatem, *Rota decis. 6. num. 11. par. 4. rec. tom. 2.* ubi quod sufficit potentia obtinendi huiusmodi gradum seu qualitatem, Quod etiam habetur apud *Buratt. decis. 322. nu. 13. Beltram, ad Greg. decis. 338. num. 16. in fine*; Et his addebantur firmata in *Ciuitatis Castellane primogenitura* 27. May 1666. coram Cerro, de cuius casu habetur infra *disc. seq.*; Et magis proximè in *Romana Commenda* 21. Februarij 1661. coram Alberгато & 6. Febr. 1662. coram Emerix, ubi in individuo responsum fuit ad favorem infantis incaparis ex ultimo possessore superstitis, exclusionem parui capacis, & de diversâ linea, ut *disc. preced.*, maledè magis, ubi in concursu cum penitus extraneo.

Super istarum verò auctoritatum applicatione respectivè magnum erat certamen inter scribentes hinc inde, ac etiam inter ipsosmet iudices, unde propterea causa tot passâ fuit propositiones absque resolutione; In ultima verò disputatione habita 9. May 1666, in qua resolutio ut supra prodit, quæ controversiæ finem dedit; Ego pro huiusmodi contrarietatibus evitandis, seu conciliandis dicebam procedendum esse cum plurimum casuum distinctione, cum qua omnes auctoritates hinc inde suis respectivè casibus congruè adaptabiles, remanabat potius diversâ quàm contraria.

Primus igitur casus est, quando dispositio continet jus vitalitium ac merè personale, non habens tractam, seu præiudicium perpetuum & successivum, sed jus admissi terminatur cum eius persona, ut sunt præsertim beneficia ecclesiastica ad filios vel successores non transmissibilia, neque admittentia ordinem successivum, & hic est casus, de quo agitur apud *Buratt. dicta decis. 682. & decis. 206. par. 3. rec. cum ibi allegatis*; Idemque vel similis est casus, de quo apud *Gargiarer. dicto cons. 16.*, quod totum desumptum est ferè ad verbum ex *dicta decis. 206. par. 3. recent.*; Agebatur enim de legato personali fruendo per eum, qui intrâ idem genus seu eandem testatoris descendentiâ esset magis literatus, & sic spectata qualitate personali intrâ idem genus absque tractu successivo, vel formali transitu de linea ad lineam cum perpetua admittance unius ac exclusione alterius, Tunc enim illi, qui ob ætatem vel alterius qualitatibus defectum excluditur, remanet spes seu potentia ut deficienti seniore, qui tunc admittitur, obtinere debeat idem jus ob capacitatem interim supervenientem; Talisque est etiam casus, de quo in *dicta Licien. coram Ottob. & Celfo*. Unde propterea quidquid sit de prædictarum auctoritatum veritate in suis respectivè casibus, & præsertim

an deferendum sit, necnè *Gargiaro*, utpotè con sua lenti ad pecuniam, vel clientis affectionem ac opportunitatem, illæ omnes extraneæ sunt à casu præsentis controversiæ, dum in defectum filiorum & descendentiû primi instituti, qui non essent Doctores, vel Procuratores ut supra, vocatur pauperior Doctor de Collegio, non personaliter, & ad viam, sed cum universa ejus descendentiâ, qua defecta, non datur ordo retrogradus ad primam lineam jam exclusam, licet supervenirent Doctores, sed fit transitus ad aliam lineam Doctoris denuò eligendi per Collegium, Et sic exclusio importat præiudicium perpetuum ac successivum, nedum personæ, cui tunc obstat incapacitas seu carentia qualitatis, sed universæ ejus lineæ seu descendentiæ, quem casum absque dubio dictæ auctoritates non percutiunt.

Alter casus est, ubi ad successivam apertam per defectum unius lineæ, vel unius generis personarum, vocantur cum ordine prælationis, ac per prius & posterius, plura genera seu plures lineæ, quæ æqualiter contendunt de novo ingressu, ac de nova successione assequenda, ita ut non surgeat inconveniens privandi perpetuò lineam jam admissam, ut fiat transitus perpetuus ad aliam lineam, sed veniant æqualiter ad jus querendum; Et tunc, juxta sensum, quem habuit *Rota in dicta Bonon. fideicommissi de Barbarijs decis. 95. par. 11. rec.*, aliàs *decis. 17. post Censur. ad Peregr.*, & de qua causa habetur infra *disc. 29.*, spectatur capacitas de tempore facti casus, atque isti sunt etiam termini, de quibus in *dicta Pisturen. primogenitura coram Cerro*, Sed quidquid sit de veritate istarum decisionum in suis casibus, extraneæ quoque sunt ab illo præsentis controversiæ in qua agebatur de excludenda linea admissa in perpetuum, ut bona facerent perpetuum transitum ad novam lineam ut supra, & sic de casu omnino diverso; Decisiones verò in *Bonon. fideicommissi de Catanis* nihil faciunt ad rem, sed potius huic parti assistunt, dum in eis admittitur conclusio super suspensione durante spe vel potentia personæ prædictæ, sed negatur applicatio, ex eo quod proles masculina sperata ex filiabus ultimi morientis, neque veniret sub genere vocato vel in conditione posito, ut habetur in eadem causa *disc. sequenti*.

Tertius demum est casus noster, ubi bona ingressa sunt unam lineam, atque agitur de illa perpetuò excludenda, & privanda jure quæsito, cum perpetua admittance alterius lineæ extraneæ, ac subsidiariè vocatæ; Et tunc observabam nullam adesse auctoritatem, quæ actori assisteret; Reo autem nondum assistebant dictæ auctoritates præsertim in *Romana Commenda coram Alberгато & Emerix*, sed etiam generalis recepta conclusio, de qua supra in principio ex adverso non impugnata, de non admittendo transitum ab una linea ad aliam, nisi illa totaliter evacuata, & quæ evacuatio sequi non dicitur, donec durat illius spes, seu potentia durationis, ideoque spectatis auctoritatibus, certum videbatur illas huic parti potius assistere.

Verum quia omnia hæc continent solum præsumptionem juris in dubio, & quando non urgeat in contrarium testatoris voluntas expressa, vel conjecturata deducta ex conjecturis ac præsumptionibus, illam juris suffocantibus; Idcirco laudando præmissa omnia & alia, quæ hinc inde circa auctoritates ac regulas generales, doctè & ingeniosè deducebantur; Pro meo sensu punctus causa magis consistere videbatur in altera

inspectione, indagandi scilicet ex facti circumstantiis & conjecturis verisimilem testatoris voluntatem, ita expendendo rationes, ex quibus unum vel alterum voluisse credendum sit, adeo ut esset magis questio facti & voluntatis quam juris, spectata magis substantia verisimilis, quam cortice ac figura verborum, quoniam in omnibus decisionibus editis in Bonon. primogenitura de Luparis dis. 7. admittitur voluntatem testatoris in specie, omnibus prævalere, etiam ex conjecturis desumptam.

Pro actore autem, ex excludenda suspensione seu necessitate expectandi futuram capacitatem personæ prædictæ, seu prius vocatæ, satis urgere videbatur consideratio, quod ita dari posset casus, ut nunquam resuaret finis seu effectus à testatore desideratus, Vel quia successor pro tempore, sub clipeo habilitatis ad assumendum doctoratum, posset dicam qualitatem negligere, Vel quia dari posset casus, ut antequam perveniret ad ætatem, quæ pro dicto gradu allequendo necessaria est, decederet superstiti filio infante ac inhabili; & sic successivè, adeoque ad hoc inconueniens evitandum videbatur dicendum testatorem habentem in animo perpetuam & continuam existentiam personarum de ejus nomine & familia ejusdem professionis, de qua ipse erat, voluisse honorare, nedum amicum cognitum ac dilectum, sed etiam ejus posteritatem, quatenus

14 tamen de illa adessent idonei & capaces, juxta eam prælationem, quæ in officio Aduocationis de jure conceditur filiis habilibus & capacibus Aduocatorum morientium ad text. in l. inbennus s. pro sportulus C. de Aduocat. diversorum iudicum, & l. nemini s. & filios C. de Advocat. diversorum iudiciorum cum concordant. per Magistrat. lib. 1. cap. 28. num. 2. cum seqq., ex quibus originatur praxis concedendi coadiutorias filiis Aduocatorum Consistorialium, præsupposita tamen illorum capacitate; Et hic videbatur casus, quod scilicet ipsum munus principaliter desideratum esset, accessorie verò concessa prælatio huic generi personarum magis quam aliis ignotis, atque ista consideratio me satis torquebat.

Econversò satis urgebat onus iniunctum obtinenti hanc successionem, assumendi cognomen & insignia testatoris, ex hoc enim duo resultare videbantur, Primò scilicet ipsum principaliter respexisse ad renovationem & conservationem propriæ familiæ, penes quam bona exitura essent, cum alio tamen onere consecutio continuandi eandem professionem seu institutum, de quo ipse testator erat; Et secundò fortius ob maximum inconueniens exinde resultans cum sui nominis & familiæ dedecore ac ignominia, ita enim dari posset casus, quod plures ex primò admittis decederent absque filiis tunc capacibus, unde propterea bona ad aliud personarum genus transitum facerent, tales autem filij & descendentes jam effecti de familia testatoris per eorum patrem assumpta, remaneret bonis denudati ac in statu miserabili, unde vilibus ac fordidis exercitiis incumbere cogerentur, atque tractu temporis ita penè tota Civitas hujusmodi cognomine repleretur; Hæc autem præponderare videbantur aliis ut supra in contrarium urgentibus; Et nihilominus observabam sufficere, ut essent equalis ponderis, seu quod ad invicem se destruerent aut debilitarent, ut eis ita conquassatis vel debilitatis, firma remaneret regula juris, quæ reo convento affixebatur, ut bona non egrederentur à linea jam admittis, in quam ingressa sunt, neque ad aliam transeant, nisi ea totaliter evacuata, quod dici non potest, donec durat ejus spes vel potentia; Ideoque

dicebam, punctum inevitabilem consistere in ratione perpetua linearum, quodque non ageretur simplici jure vitalicio & personali ratione æquatis. Alia etiam particulari circumstantia accessoria quod testatori benè innotescebat, Ioannem Rotam primò institutum in quo ejusque descendentes ejus familiam inenovare & conservare voluit, habere dictum filium tunc in factis ab ipso in factis leuatum, ac dilectum tanquam filium spiritum, unde potuit cogitare casum qui contigit, & quod Doctoratum vel aliam qualitatem desideraret tanquam modum suo congruo tempore autem tanquam conditionem.

Et licet nimum inlisteretur in eo, quod prædictus & possessor, donec superveniret capacitas, non posset bona obtinere, Respondere tamen, quod non quid sit de hoc, dum ita erat supponere pro conditione id quod erat in questione, ut scilicet qualitas pro conditione, non autem pro prædicto esset, adhuc tamen ille duplicem generis periculum, unam propriam, alteram vero reo ultimi grauati & possessoris, unde quando ex parte persona obtinere non posset bona controversata, nec superveniret capacitas, retinere poterat ea cuncta jure continuationis penes hæredem prædictum, donec certificaretur persona fideicommissarii successoris juxta decis. 517. par. 4. divers. mor. cum aliis infra in Romana locorum monium pro C. Ac etiam quia reo & possessori sufficit vincere non jus actoris absque sui juris justificatione, ut repellendo ob non probatam purificationem conditionis, sub qua vocatus est, ad quem effectus sufficit existentia facti personarum de linea genere prius vocato atque in conditione potest quamvis ille non succederet, cum non sit inconueniens, ut quis non possit succedere, & tamen debere faciat conditionem, seu impediat ejus purificationem ad text. in l. filius familias s. cum esset reus ff. de legatis primo cum concordantibus per Sarrum un. conf. 102. n. 38. & seqq. lib. 1. Rota decis. 1. 2. par. 3. recent. Romana fideicommissi de Soriano May 1643. coram Carillo, inter suas decis. 266. per strata etiam occasione hujus causæ per Mancinellum supra consultat. 80. quæ in materia reputatur magis stralis pluries canonizata, & admittis in d. Bonon. fideicommissi de Cateneis ut disc. 40., adeoque probabilitas huic parti magis assistere videbatur.

## CIVITATIS

CASTELLANÆ  
PRIMOGENITURÆ

PRO

IOANNE FRANCISCO LIPPICO

CV M

FRANCISCO etiam LIPPICO.

Causa decisus per Rotam pro Io. Francisco

De eadem materia, An primogenitura vel fideicommissum stare debeat in suspensis donec